FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Sacra In Memoriam Iesv Redivivi Religiose Facienda Fridericianae Prorector Ac Director Ioannes Tobias Carrach Potentiss. Regis Borvssiae Consiliarivs ...

Carrach, Johann Tobias

Halae Magdebvrgicae, MDCCLXIIII.

VD18 13087991

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-192357

Visual Library

Franckesche Stiftungen zu Halle

181 D: 4

Franckesche Stiftungen zu Halle

13.

SACRA
IN MEMORIAM IESV REDIVIVI
RELIGIOSE FACIENDA

FRIDERICIANAE PRORECTOR AC DIRECTOR

IOANNES TOBIAS CARRACH

POTENTISS. REGIS BORVSSIAE CONSILIARIVS INTIMVS
ORDINIS IVRIDICI ORDINARIVS AC IVRIS PROFESSOR PRIMARIVS
NEC NON
ALVMNORVM REGIORVM ET HALBERSTADIENSIVM EPHORVS

VNA CVM RELIQVO

SENATV ACADEMICO
INDICIT CIVIBVS

PROPOSITA SIMVL DISPVTATIONE
DE
IVSTIFICATIONIS CHRISTI DEMONSTRATIONE
PER RESVRRECTIONEM ILLIVS
EX MORTVIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS ORPHANOTROPHEI
CIƆIƆCCLXIIII.

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dei Optimi Maximi beneficio ac munere tempus rursus viuendo attigimus, quod nobis reditum Domini nostri Iesu Christi in vitam in memoriam redigit, tempus, quo in ecclesia omnia laetis vocibus personant, illum excitatum esse a mortuis, qui nobis vnicus salutis et vitae auctor est.

Cum igitur res haec laetissima ad omnes pertineat, ac proinde etiam ab omnibus cogitari debeat, nefas sane esset, si nos, *Ciues Carissimi*, in publica illius commemoratione silere, officiique nostri erga nos et erga vos immemores esse vellemus. Quo magis enim quisque alios ingenio, doctrina, cognitioneque et vsu veri ac boni sibi superare videtur, eo magis ea perpendat, necesse est, quae ad religionem et officium Deo ac Seruatori debitum pertinent.

Cum vero vsu receptum sit, vt cohortationi nostrae argumentum aliquod praemuniamus, quod temporis rationi accommodatum est, piaeque meditationis materiam praebet, in praesenti quidem visum nobis est, de *Iustificationis Christi demonstratione per resurrectionem illius ex mortuis agere.* Quod propositum vt ordine exsequamur, *primo* de ipsa Christi iustificatione, *deinde* de demonstratione illius per resurrectionem ex mortuis dicendum erit.

Quod itaque ad ipsum iustificationis Christi negotium attinet, ante omnia tenendum est, nemini hoc orationis genus insolens de Christo videri debere; habemus enim ipsas sacras litteras in eo praeeuntes, quippe in quibus iustificationis ipsius Domini diserta mentio fit. Sufficiat nobis, quae diximus, duobus exemplis comprobare. Sic ipse Dominus (Iesai. L. 8. 9.) *propinquus est*, inquit, *iustificans me, quis est qui me condemnare ausit?* notissima praeterea est vox Pauli, *Deus manifestatus est*, inquientis, *in carne, iustificatus in spiritu* (1 Tim. III. 16.). Quibus positis ad rei ipsius explicationem progredimur, breuiter ostensuri, qua in re ipsa Christi iustificatio ponenda sit, et quo tempore facta concipi debeat.

Quod ad primum attinet, satis notum est, *iustificationem* quando de hominibus dicitur, non internam animi vitiosi emendationem, qua homo Deo rursus similis efficitur, significare, sed absolutionem rei ac nocentis in iudicio diuino; quod cum aliunde satis constet, pluribus illud in praesenti probare nihil attinet. Quae si ad Dominum transferamus, non est quod putemus, vocabulum hoc de eo vsurpatum in aliam sententiam accipi oportere. Id quod vel maxime omniumque luculentissime ex supra allato Iesaiae effato apparet, qui iustificationi aperte condemnationem in iudicio diuino opponit, eoque satis aperte docet, iustificationem illam nihil aliud esse, quam absolutionem iudicialem Domini. Id quod porro eo comprobatur, quoniam Dominus interna animi emendatione plane non

egebat,

egebat, iustus quippe per se, planeque sanctus et innocens; absolutione vero omnino egebat, quoniam propria licet culpa carens ac proinde etiam omni per se commerita poena liber, culpam tamen peccati vniuersi generis humani in se transferri aequo animo passus, ac proinde etiam ad poenam loco illius subeundam obstrictus erat; cuius rei veritatem in praesenti probare supersedemus, cum neminem fugere possit, qui doctrinam de Christo mediatore vel primis labris degustavit, nec fascino praeceptarum opinionum impeditur, quo minus solem in meridie videre queat.

Iustificatio ergo Christi eo continetur, quod Deus tanquam iustus iudex mediatorem, praestita perfecta ac debita pro genere humano satisfactione, omni culpa ac poena alieni criminis liberauit, id est, talem censuit, qui iam omni culpa plane vacet, contra vero omnia praestiterit, quae praestari ab eo oportebat, et qui proinde etiam plenum ius sibi acquisiuerit, praestationem illorum omnium a Deo postulandi, quae Deus sub conditionibus ipsi latis promiserat. Hanc Christi iustificationem iudicialem Scriptura maxime spectat, quoties de Domino tanquam mediatore loquitur, eumque iustum adpellat; tum enim non tam iustitia ac puritas bonitasque interna, naturalis ac perpetua, quam semper habuit, in censum venit, quam potius iustitia illa iudicialis, quam propter collationem alieni criminis in ipsum non semper habuit, sed satisfaciendo ac luendo demum sibi acquisiuit. Obtinet id quod modo diximus v. g. (Iesai. LIII. 11.) vbi Deus ipse, *per cognitionem sui*, inquit, *seruus meus* IVSTVS *iustificabit multos;* ex cohaerentia enim huius effati cum superioribus satis apparet, iustum dici Christum propter iudicialem quam pro hominibus praestitit satisfactionem; eadem ratio est dicti Iohannis (1 ep. II. 2.) *et si quis peccat*, inquientis, *paracletum habemus apud patrem, qui iustus est;* subiuncta enim verba, *qui propitiatio est pro peccatis nostris*, satis probant, Dominum *iustum* appellari paracletum, quoniam propter praestitam loco nostro satisfactionem, optimo iure pro nobis deprecari, veniamque peccatorum poenitentibus ac credentibus dandam a Deo postulare possit. Sed non necesse est in re haud obscura diutius commorari.

Progredimur itaque ad alterum ostensuri, quo tempore haec iustificatio Christi concipi debeat facta. Natura itaque rei, de qua agimus, iustificationis scilicet, id facile nos edocere potest. Iustificatio prius fieri nec poterat nec debebat, quam praestitis illis, quae Dominus in se praestanda susceperat; quibus vero praestitis nulla quoque idonea ratio excogitari potest, cur differri iure potuerit aut debuerit. Si ergo certo effecerimus, qua re ac quo tempore omne id peractum fuerit, quod Domino tanquam mediatori praestandum incumbebat, certum quoque habebimus, quo tempore iustificatus sit censendus; iustificatio enim nititur praestanda satisfactione, hanc ergo rite praestitam confestim consequi debebat. Docet vero nos Scriptura perspicue, satisfactionem morte a Domino in cruce oppetita ita fuisse praestitam, vt nihil amplius post illam persoluendum superesset.

Illi enim oppido in errore versantur, qui sibi aliisque olim ac recentiori aeuo persuadere voluerunt, mediatorem etiam peracta iam morte in cruce, adhuc aliquid poenarum in se habuisse, quod luendo ac patiendo persolueret, descensumque ad inferos eo pertinuisse autumant; quod tamen longe secus est. Ipse enim Dominus morti proximus, consummata ac peracta iam esse omnia clarissima voce pronuntiabat, quae peragenda erant; status praeterea animae Domini corporis vinculis morte liberatae tanquam status felix, beatus omnique dolore ac cruciatu plane vacans describitur, vt de malis post illam sensu perceptis cogitari plane nequeat. Vulnus quidem corpori Domini exanimi etiam post mortem inflictum esse legimus, quod forte sententiam illam de toleratis post mortem adhuc malis, quibus aliquid luendum adhuc fuerit, videri posset confirmare: verum enim vero facile apparebit, longe aliter censendum esse, si rem accuratius expendamus. Concedamus, si hominum ea in re animos spectemus, malo consilio vulnus illud fuisse inflictum, Domini tamen respectu malum amplius non erat, quoniam exanime corpus omni iam sensu carebat, vt dolorem ex illo percipere ac proinde eo aliquid adhuc luere non potuerit. Dei vero illud permittentis consilium non ad poenam adhuc a mediatore repetendam, sed ad veritatem mortis piacularis confirmandam atque extra omnem dubitationem ponendam spectabat; quoniam id plane scire magnopere nostra intererat, ne aut hostes aut amici contra illam aliquid vel minima cum specie mouere possent. Non ergo sine grauissima causa sed cum summa vtilitate nostra Domino id accidit, licet ipse nihil amplius illo luerit.

Confirmatur praeterea id quod contendimus, morte scilicet Domini omnia fuisse peracta, quae ad reconciliationem per se perficiendam pertinebant, clarissimis apostolorum testimoniis. Sic v. g. Paulus diserte ait, *nos Deo esse reconciliatos morte filii* (Rom. V. 9. 10.). Mortem vero in cruce oppetitam intelligi, cum ex vsitata et ordinaria notione verborum, tum ex eo apparet, quoniam alibi pacem a Christo factam esse adfirmat sanguine in cruce, reconciliatosque nos esse corpore carnis illius per mortem (Col. I. 20. 22.); quae omnia inter se rite collata plane euincunt, mortem corporis in cruce oppetitam illud fuisse et dici ab apostolo, per quod reconciliatio peracta sit. Ex quibus omnibus conficitur, iustificationem Christi in iudicio diuino factam esse censendam in ipso mortis puncto, quoniam mors in cruce oppetenda illa ipsa conditio erat, quam impletam iustificatio illius consequi debebat.

Ante vero quam ad alteram disputationis nostrae partem progrediamur, duo adhuc subiungere placet. Primum in eo ponitur, quod per iustificationem Christi tanquam mediatoris, iustificatio etiam quaedam totius humani generis facta est. Praestita scilicet a mediatore perfecta satisfactione vicaria, totum humanum genus liberatum est necessitate et officio, aut propriam et per se ipsum praestandi satisfactionem, aut, cum id fieri nullo modo posset, poenas peccato commeritas in aeternum cum salutis iactura luendi; partum praeterea toti humano generi ius ac proinde etiam a Deo adiudicatum, satisfactionem mediatoris ad se transferendi, absolu-

absolutionemque à peccato propter Christum expetendi. Docet id scriptura locis illis omnibus, in quibus δικαιωμα, iustitiam, obedientiam, gratiam mediatoris ac vitam aeque late patere, adfirmat, ac peccatum ortaque ex eo culpa, damnatio et mors patent, Rom. V. 12 cet. et alibi Paulus scribit, Deum fuisse in Christo, mundumque sibi in eo reconciliasse (2 Cor. V. 19.). Alterum quod obseruare adhuc placet, in eo ponitur, quod singulari diuino consilio fieri oportuit, vt iustificationem diuinam in morte crucis factam, consecuta quoque sit iustificatio ex parte multorum hominum. Multi enim audientes partim quae Iesus in cruce dixerat, partim mortem illius coniunctaque cum illa miracula cernentes, dolorem ex iniusta illius condemnatione ac nece, quam opinionis errore et inconsulto impetu probaverant, iam conceptum significabant, eumque innocentem i. e. talem declarabant, qui, propriis criminibus ipsi ab hostibus illatis nihil poenarum commeritus sit. Quae multorum sententia et confessio animos praeparabat, vt euangelium, quo consilium diuinum postea illis veraque caussa mortis Iesu aperiebatur, eo facilius in animos admitterent, salutemque per fidem in Christum consequerentur.

Sed accedimus iam *alteram* vniuersae orationis nostrae partem in eo positam, vt doceamus, iustificationem Domini tanquam mediatoris per resuscitationem illius ex mortuis euidentissime fuisse comprobatam. Quod vt rite fiat, *primo* rem ipsam, de qua nobis sermo est, probabimus, *deinde* alia nonnulla partim ad illustrandum hoc argumentum, partim ad grauitatem illius demonstrandam subiungemus. Quod itaque ad ipsam illius quod agimus probationem attinet, duplici ratione id probatum dari potest, primo rei ipsius quae facta est accuratiori consideratione, resuscitationis scilicet ex mortuis, cuius natura ipsa rite expensa absolutionem Domini in iudicio diuino certissime factam esse demonstrat.

Quod vt appareat obseruandum omnino est, quibus in rebus resuscitatio ex mortuis latius patens ponatur. Continetur vero *tribus*, *primo* animatione corporis exanimis per coniunctionem vitalem et operosam animae solutae cum illo, *deinde* glorificatione ipsius corporis, animae coelesti gloriae adfectae felicissimo statui conuenienti et apta. *Denique* in eductione ex sepulcro tanquam mortuorum domicilio ac conditorio. Tria igitur haec, quae corpori Domini per resurrectionem ex mortuis contigerunt, iustificationis illius iudicialis certissima argumenta sunt.

Quod enim ad primum, animationem videlicet corporis mortui ac sensu privati per coniunctionem cum anima, et quidem glorificata, attinet, illa indubitato documento erat, nullum amplius iustum et in iudicio diuino valentem caussam fuisse, cur corpus adhuc vel dolores sentiret, vel in morte sine omni sensu maneret. Caussae vero vtriusque rei, cum sensus doloris tum primationis omnis sensus per mortem, cum vnice in vicaria Domini substitutione in locum nostrum praestandaque pro nobis satisfactione sitae sint, ex sublatione vtriusque mali per resurrectionem ex mortuis factam duo confici oportet, primo scilicet, satisfactioni ipsi nihil eius defuisse quod Deus postulauerat, deinde fuisse illam quoque Deo

plane probatam atque acceptatam, mediatoremque proinde plane liberatum; si enim alterutrum secus se haberet, sublatio illorum malorum per animationem corporis supra expositam consequi non potuisset.

Alterum quod resurrectio in se continet, glorificatio videlicet corporis statui animae glorificatae conueniens, pariter indicio est, absolutionem Domini plane fuisse factam, nihilque alieni criminis et culpae amplius in eo haesisse. Nam per glorificationem illam corporis plane demonstratur, Iesum non ad vitam sensu malorum, dolorum et incommodorum huius vitae, quibus corpus per naturam suam patet et subiectum est, in posterum quoque rursus adficiendam resuscitatum esse, sed ad agendam vitam beatam, immortalem omnique dolorum malorumque sensu vacuam. Id vero euidentissime probat, Deum non solum nihil poenarum amplius ab illo repetere voluisse, verum etiam insignem ex eo tanquam mediatore rebusque illius pro salute generis humani gestis ac perlatis voluptatem percepisse.

Eductio denique ex sepulcro, quae pariter resurrectione continetur, non minus indubitato indicio est factae de qua agimus absolutionis. Cum enim sepulcra mortuorum domicilia sint, commoratio quoque in illis argumento est, mortem aliquam saltem adhuc potestatem in illos habere, qui in iis versantur. Quoniam itaque Dominus rediuiuus ex illo eductus est, eo ipso probatum fuit, nihil plane negocii aut commercii amplius illi nec cum morte nec cum mortuis esse, ac proinde plenam illi libertatem a Deo esse datam.

Quod vero ex rei ipsius, sicut ostendimus, natura patet, id diserta quoque testimonia Scripturae sacrae probant. Promissa scilicet fuerat Christo a Patre restitutio in vitam et quidem beatam, immortalem et gloriosam, sub ea conditione, si vitam pro mundi peccato posuisset, et hanc conditionem Christus etiam accepit. Cum itaque Christus a mortuis resuscitatus sit, sequitur ex eo patrem iudicasse, conditionem Christi latam plane ab ipso fuisse impletam, nihilque amplius superesse, quod ab eo iure exigi queat. Resuscitationem vero ex mortuis sub ea conditione Christo promissam fuisse, vt multa alia, ita inprimis etiam locus (Iesai. LIII. 10.) perspicue docet. *Si posuerit animam ipsius sacrificium pro reatu, videbit semen, producet dies, et quod Domino probatur per manus illius prospere succedet.* Sed sufficiant haec in praesenti pro instituti nostri ratione, superest iam, vt nonnulla adhuc subiungamus, quae partim ad illustrandum hoc argumentum, partim ad grauitatem illius ostendendam valent.

Primo itaque per resurrectionem ex mortuis omniaque illam ex promisso patris consecuta non solum iustificatio Domini iudicialis, sed simul etiam veritas vniuersae doctrinae illius probata et confirmata est. Dominus enim saepe testatus fuerat, Deum per resuscitationem sui ex mortuis reliquamque glorificationem confirmaturum esse, se esse re vera illum, quem se professus fuerat, filium nimirum Dei proprium, summumque illius legatum, quem ab omnibus audiri, ei simpliciter obediri, eumque aeque ac patrem honorari ac coli oporteat. Hoc

ipsum

ipsum paullo ante mortem adhuc professus erat, prouocans simul ad Deum, qui se in dextra sua collocaturus et hoc modo veritatem dictorum probaturus sit. Cum ergo Deus Iesum resuscitauerit et euexerit super omnia, re ipsa testatum fecit, vera fuisse illa omnia, quae Dominus docuerat. Veritas vero et indubitata fides resurrectionis Christi ex mortuis pariter rebus ipsis clarissime demonstrata est, largitione videlicet Spiritus sancti maxime, virtutumque illius ac donorum, quibus apostoli non solum, sed etiam innumeri alii instructi, in nomine Iesu innumerabilia miracula effecerunt, diserte simul adfirmantes ac profitentes, Deum illa facere, vt Iesum a mortuis resuscitatum esse, rebus ipsis probaret.

Alterum quod obseruamus, in illo ponitur: Resuscitatione Christi ex mortuis consecutaque exaltatione Deus euidentissime ostendit, velle se serio, vt omnes omnino homines re ipsa seruentur ac proinde fructus mortis Christi piacularis percipiant. Apparuit enim ex eo, quantopere Deo totum redemtionis opus a Christo peractum probatum sit; si vero opere ipso delectatus est, sequitur quoque, eum fine illius delectari, qui in salute hominum ponitur. Sed ratiocinationibus in re tam euidenter testata ne quidem opus est. Iustificatio enim Christi per resurrectionem ex mortuis comprobata in eo quoque ponitur, quod Domino plenum a Deo ius datum est, omnia illa exsequendi ac postulandi a Deo, quae Deus ipsi sub conditione mortis piacularis praestandaeque loco hominum satisfactionis, pollicitus erat. Iam vero id pollicitus erat, se ipsi potestatem in omnem carnem i. e. in omnes mortales, quorum causam in iudicio diuino susceperat, daturum, et eo quidem consilio, vt ipsis vitam, id est salutem daret. Deus itaque Iesu resuscitato fidem suam liberauit euidenterque demonstrauit, velle se omnino, vt omni potestate in coelo atque in terra ipsi tanquam mediatori concessa ad id vteretur, vt re ipsa seruaret, et ad vsum fructumque expiationis procuratae omnes perduceret, qui non ipsi voluntaria animi obstinatione id impediunt. Hinc apostolus grauiter admodum scribit (Ebr. VII. 24.) *Hic quia manet in aeternum, perpetuum sacerdotium habet, inde etiam seruare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper viuens eo vsque, vt deprecetur pro ipsis.* Sicut ergo Dominus ex voluntate Dei hominibus salutem per res suas gestas in statu exinanitionis peperit, ita non minus ex illius voluntate in statu gloriae confert, totusque in eo est, vt ad veram in se fidem perducat, ne pereant, sed vitam aeternam in ipso habeant. Vita igitur Iesu tanquam mediatoris, aeternaque in illa permansio perpetuum et inuictum argumentum est, et ipsum et patrem plane id cupere et agere, vt omnes omnino homines re ipsa participes fiant salutis et vitae.

Inprimis vero resurrectio Christi certissimum documentum est iustificationis omnium vere credentium in Christum. Ita enim apostolus scribit (Rom. IIII. 25.): *Christus propter peccata nostra in mortem est traditus, et propter δικαίωσιν s. iustificationem nostram resuscitatus est.* His enim verbis clarissime demonstrat, finem et effectum mortis Iesu fuisse, vt pro nobis satisfaceret et lueret; finem vero resusci-

ſuscitationis esse, vt satisfactio illius in rationes nostras per fidem referatur, nosque intuitu illius etiam re vera iudicio liberaremur. Et quemadmodum Dominus iustificatus ipse, veritatem illius rei per restitutionem in vitam beatam ac gloriosam, ac proinde re ipsa expertus est; sic etiam illi, qui vere in iudicio diuino per fidem in Christum iustificantur, veritatem rei, per communionem resurrectionis Christi in largitione et operationibus vitae nouae ac spiritualis, et in sensu pacis re vera experiuntur. Iustificamur enim quidem omnino iustitia Christi mediatoria, quae per se extra nos in Christo est, sed non quatenus extra nos est et manet, sed quando et quatenus re vera nostra fit per fidem, id est quatenus a Deo re vera in rationes nostras refertur, et quatenus nos illam re vera per fidem accipimus nostramque facimus. Iustitia porro Christi mediatoria accipi a nemine potest sine ipso Christo et Spiritu illius, sed modo cum Christo ipso et Spiritu illius inhabitante in anima et operante.

Haec ergo sunt, *Ciues carissimi*, quae vobis his diebus meditanda et agenda proponere ac commendare voluimus. Vtinam de vobis omnibus cum fiducia sperare possemus, vobis id curae cordique fore, vt summa beneficia optimi Seruatoris vobis quoque parta et per euangelium oblata aliquando rite ponderaretis, et de seria illorum ad vos translatione, vsu et fructu vere solliciti essetis. Id certe vos iam dudum maxime decuit, qui prae aliis sapere vultis ac debetis. At non sine ingenti dolore multa illa ac varia specimina recordamur, ex quibus satis apparet, quam alieni, proh dolor, plurimi vestrum adhuc a studio verae sapientiae ac salutis fuerint. Eo magis ergo vos moneri a nobis ac per Deum ac salutem vestram obsecrari necesse est, vt tandem aliquando vocem Seruatoris audiatis, impietati omni nuncium remittatis, Deumque etiam obsecretis, vt Spiritu suo oculos mentis vestrae illuminet, voluntatemque vestram ad suam voluntatem flectat, quo Christum lucremini et in eo vitam consequamini. In eo ergo ponite dies hos, imo id per omnem vitam vobis habete propositum, atque ita agite, vt vobis egisse in omnem aeternitatem gaudio sit. Nos vero orationem nostram verbis apostoli concludimus, (Ebr. XIII. 20. 21.) optantes, *vt Deus pacis, qui ex mortuis eduxit magnum pastorem ouium per sanguinem aeterni testamenti, Dominum nostrum Iesum, vos coagmentet in omni opere bono, ad faciendum voluntatem illius, faciens in vobis, quod ipsi placet per Iesum Christum; cui sit gloria in omnem aeternitatem. Amen.*

P. P. in Regia Fridericiana d. xx. Apr. CIƆIƆCCLXIIII.

Franckesche Stiftungen zu Halle

1812 D. 4.

V D 18

Franckesche Stiftungen zu Halle

Franckesche Stiftungen zu Halle